

A

1936
XII.

Deesi (Cenior, Johannes)

Hodoeponia Tūnis Transylvanica,
Moldavia, Russia;
Witebergae, 1587

36 n

Unicum

Bibl. Biblas, 19 - Musc,

DE. FACULT. COPIE

HOD OE PORICON
ITINERIS TRANSYLVA-
NICI, MOLDAVICI, RVSSICI,
CASSVBI, MASOVICI, PRVSSICI,
Borussici, Pomerani, Marchici &
Saxonici, exantlati 1587.

GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO,
D. N. FRANCISCO BANFILOSONCIO

ILLVSTREM ET MAGNI-
FICVM DOMINVM, DN. VVOLPH-
GANGVM BANFILOSONCIVM PA-
rentem, Consiliarium Illustrissimi Principis Transylvaniz S. I-
GISMVNDI BATHORI de SOMLIO, & Comitem
comitatus DOBOCENSIS, Dominum in BANFI-

ANNUNCIUM, NAGYFAEV, BONCZ-

Scriptum per

JOHANNEM CZ. DECZIVM

VVITBERGAE

Ex typographia Simonis Gronenbergii.

M. D. LXXXVII.

MAGNIFICO DOMINO,
D. VOLPHGANGO BANFI LOSONCI,
consiliario Illustrissimi Principis Transylvaniae,
& comiti comitatus Dobocensis, Patrono
colendissimo. S. P. D.


- **Accipe pacato, Meccenas inclyte, vultu**
Historiam nostræ cunctaq; gesta viæ.
- **Felix qui mores hominum cognouit & vrbes,**
Altaq; cum populis plurima regna suis.
- **Nam veluti variis messis cumulatur ab agris:**
Sic varius veras comparat vsus opes.
- **Gloria sic clari melius celebratur Vlysis,**
Annos dum toto currit in orbe decem.
- **Sic viget Aeacides, sic virtus Iasonis, atq;**
Sic pius Aeneas nomina clara tulit,
- **Nos quoq; quod tulimus tam tædia longa viarum,**
Proderit hos olim commemorare vias.

M. T. D.

Alumnus.

Johannes Deczius.

Ex typographia Simonis Gronenbergii.
M. D. LXXXVII.



EPIGRAMMA.

IOANNIS CZANADII,

Ad eundem Magnificum dominum D.

SI iuuat errores Ithaci bene nôsse, vel olim
 Vt fuit AEsônidæ tradita prora mari:
Non dubito, quin te mage, Princeps inclyte, cursum
 Emensamq̃ viam prolis habere iuuet.
Namq̃ tibi in sobolem est ita magnus pectoris ardor,
 Et sic es nati vinc̃tus amore tui:
Ocyùs vt cupias ex hoc bona quæq̃ referri,
 Et stet in hoc vno maxima cura tibi.
Qualiter Albiacas igitur peruenit ad oras,
 Quæ fuit & longæ forsçq̃ modusq̃ viæ:
• En tibi sollicitè docti commonstrat alumni
 Conscriptum breuiter quod modò prodit opus.
• Quod postquam dabitur vigili percurrere mente,
 Certus sis natum prosperitate frui.
• Ceu rosa, Musarum viridi spectandus in horto
 Virtutum colit hic Pieridumq̃ chorum.
• Sectatur pietatis opus, vitatq̃ nefanda,
 Gaudet & in Coëtu semper adesse pio.
• Inclyta mens eius bona de se plurima spondet,
 Nec postrema suæ gloria stirpis erit.

A 2

Si



I quis in hac ultima mundi senectâ
regna totius orbis inter se conferat:
animadvertet profectò magnam Vn-
garico populo cum sancta Dei Opt.
Max. gente similitudinem intercede-
re. Principiò siquidem quemadmodum Deus
Opt. Max. gentem Israëliticam nullo respectu hu-
manorum meritorum habito ex durissimo Phara-
honica crudelitatis orgastulo per miraculosa poten-
tia sua specimina eductam in hereditariam Chana-
næ terra possessionem locavit: ita etiam Vngari-
cam nationem ex penitioribus Asiaticæ Scythia
plagis Duce Atilla & septem illis Capitaneis edu-
ctam contra omnes omnium gentium reluctationes
in ius & dominium Pannoniæ lacte profectò &
melle præ alijs regionibus fluentis introduxit. De-
inde quemadmodum Deus gentem Abramam,
non solum certa sede dotavit, verum etiam pura sui
cognitione eam illustravit, æternamq; suam volun-
tatem de omnibus ad salutem generis humani spe-
ctantibus per sanctos suos Prophetas & Apostolos
revelavit: ita etiam Ungaros cum superioribus se-
culis

anno D.

173.

173.

173.

Non potestis in gloria
sine gloria
sine gloria
sine gloria

culis sub Geysa Rege & eius filio Stephano, tum in
hac extrema mundi aetate per fideissimos verbi sui
praecones ex densissimis tenebris in veram suam cog-
nitionis lucem vindicavit. Præterea, quemadmo-
dum regnum Hebraeorum DEVS Regibus orna-
verat, fortissimis urbibus muniverat, victo-
riis decoraverat, omnibusq; paterna sua benevo-
lentiæ argumentis prosecutus fuerat: Ita & Un-
gariam bellicosissimis Regibus, munitissimis ur-
bibus, gloriosissimis triumphis, singulari fru-
gum & vini copia, eximia fructuum affluentia,
mirabili hominum fortitudine, omnibus denique
singularis suæ affectionis testimonijs in peculiare
quoddam prædium sibi vindicaverat. Quid enim
referam res gestas Atilla, qui veluti alter Alexan-
der totius ferè orbis regiones subiugavit? Testis est
hinc Italia, testes sunt Venetia, quas metu Atilla
Heneti in mari Adriatico fundaverunt & condi-
derunt. Quid commemorem Belam, Geysam,
Stephanum, Sigismundum, aut alios Ungariae Re-
ges, qui non solum fines suorum regnorum contra omnes
omnium nationum conatus propugnauerunt: ve-
rum

tum etiam alias regiones aut penitus sibi subiecerunt, aut formidine suarum victoriarum in officio continuerunt? Quid enumerem fortissimi Herois Ioannis Hunniada triumphos, qui, Meszlitbecho circa Vaida Hunniada interfecto, septies victoriam de uniuerso Turcici Tyranni exercitu reportauit, bis duntaxat, propter nimiam suorum paucitatem, locorum incommoditatem, & nefariam transfugarum prodicionem victus, cetera semper victor ex praelio discessit? Quid repetam diuinam Matthiae Coruini felicitatem, qui non solum Fridericum, Imperatorem Romanorum, afflixit: verum etiam vires Orientalis Antichristi, Turca videlicet, dissipauit? Quid denique recenseam aut Stephanum Bathori de Somlio, Vainodam Transyluania, qui Alibekum cum 60. Turcarum millibus prostigauit: aut Paulum Kinisium, aut Georgium Thurium, aut Nicolaum Trinium, aut alios fortissimos Vngariae Heroes, qui crudelissimos Ottomanicae gentis impetus suo sanguine represserunt, & ne Germaniam cum aliis Christiani nominis nationibus occuparet, effecerunt? Sed quid etiam referam

ram presentes Vngaria propugnatores Georgium
Zrenium, Franciscum Nadasdium, & Battia-1517.
num, qui cum aliàs sapissimè, tum verò paucis
antè hebdomadis nouem millia Turcarum, comi-
tatum Zala crudelissimè depopulantium, fuderunt
fugaueruntq̃, & celeberrimum illum Christiani
nominis hostem Sasuarium cum Koppaniensi &
Quinq̃ecclesiensi Beko in captiuitatem redegerūt,
atq̃ maximam de Mahometanis victoriam, sede-
cim tantum gregariis militibus è nostrate exercitu
desideratis, reportauerunt? Tempus profectò &
oratione deficeret, si omnes Vngaria Heroas vel
obiter recensere vellem, adeò ut nullam natio-
nem esse videam (quod tamen salua omnium genti-
um existimatione dictum velim) in qua plures
magni nominis Duces extiterint, atque in hac, si
saltem tam eloquentes suarum rerum gestarum
pracones unquam nacti fuissent, aut etiamnum
nanciscerentur, quàm fortes & quàm felices ipsi
aut extiterunt aut etiamnum extant.

Postremò, quemadmodum Deus Hebraeos, pri-
mùm quidem in praeceptis suis ambulantes, omni-
bus

bis modis ornauit, deinde autem deflectentes ab eis
pro sua iusticia castigauit, regno, Regibus, vera sui
cognitione, Prophetis & Doctoribus, omnibusq; sua
beneuolentia τὴν μνησίαν exiit: ita etiam Vngaros simul
ac gratiam oblatam fastidire cœperunt, verbi
sui prædicatione, fortissimis Regibus, maiore regni
opulentissimi parte, omnibusq; ferè symbolis sui a-
moris priuauit. Quid enim referam aut ^{αὐτοκράτορας}
ἡγήτας illos Iesu Christi hostes, qui hæresin Arria-
1570. nam, Eutybianam, Samosatensianam, aliq; car-
cinomata ex orco reuocantes simplicem Dei popu-
lum illis venenis infecerunt atq; etiamnum infici-
unt: aut Iebuseos illos Monachos, qui Pontificios er-
rores iterum spargere in Transyluania volentes lu-
1581. dum Claudiopoli aperuerunt? Quid referam cru-
delitatem Mahometanorum, qui non solum Ladis-
laum Regem Vngariæ in clade Varnensi, & Ludo-
uicum Regem itidem Vngariæ in clade Mohaczina
1444.
1526. cum omnibus fere proceribus extinxerunt: verum
1570. etiam Bellogradum, Ezechium, Szigetum, quinque
Ecclesias, Strigonium, Budam, Ioniosmar aliasq;
munitissimas arces cum Simigio, Baronia, maxi-
mag;

magis regni parte partim vastauerunt, partim occu-
pauerunt. Quid enumerem obitus Doctorum Ec-
clesiae Petri Melij, Ioannis Viti Balsarati, Basilij
Fabricij Szikssouiani, Petri Carolij, Valentini Hel-
lopæi, Michaelis Paxij, Thoma Felexhazij, Petri
Berexasij, Matthiae Thoraconymi, Davidis Si-
gemundi, Ioannis Dereschai, Ioannis Kazai, alio-^{1587.}
rumque clarissimorum virorum, qui aut superiorib.
temporib. aut hoc presenti anno in flore etatis suae
gremio militantis Ecclesiae in caelestem Academi-
am introducti sunt? Taceo iam scholarum dissi-
pationes & desolationes, taceo pestes saeuissimas, fa-
mem, clades, incendia, depopulationes, sterilitatem
terrae, Dynastarum crudelitatem, peruersitatem
hominum, taceo denique illas calamitates, quibus De-
us Opt. Max. gentem nostram pro iusto suo iudicio
ita affligit & castigat, ut quemadmodum in bene-
dictione diuina percipienda, ita etiam in maledi-
ctione sentienda Israëlitico populo penè par esse vi-
deatur. Has omnes Hungariae arumnas diligen-
tius in animo tuo reputans, Magnifice Dn. ac Patro-
ne colendissime, statuisti te nullo officio magis affli-
ctam patriam iuuare posse, quam si liberos in pere-
grinas regiones liberalium artium gratia ablega-
res

B

res

res. Prospiciebat enim M. T. D. ita fore, ut si filij
tui primum quidem in vera pietate, deinde in vita
sanctimonia, eruditione, aliisque virtutibus proficeret,
commodius & Deo, & patrie, & Principi suo, &
sue familiae operam suam nauaturi essent. Quamob-
rem annus agebatur salutiferi partus M. D. LXXXVII.
18. dies Maij, cum me lateri filij tui adiungendo, om-
nibusque ad tam longinquum iter necessarius instru-
endo, bonis auspiciis ex oppido M. V. D. Bonczhi-
da nos in nomine Dei Opt. Ma. dimisisti. Eo die nos
Vasarbelinum Sicularum usque progressi, sequentibus dua-
bus diebus in Szent Pal appulimus. Illinc egregius
Dn. Volphgangus Kornis, Regius Iudex sedis Sicu-
licalis filio suo quoque egregio Dn. Georgio Kornis
nobis adiuncto, Coronam usque nos deduxit & co-
mitatus est. Corona adiunximus nos comitatu
Magnifici D. D. Volphgangi Couasocij, Cancellarij
& Consiliarij Illustrissimi Principis Transylua-
niae, & Generosi ac egregij Dn. Casparis Kornis,
qui ambo nomine Principis Varsouiam, Masouiae
metropolim, in comitia contendebant. Stephanus
enim Bathori de Somlio Rex Polonia, magnam
pecuniarum, equorum & militum vim quotannis
ex Transyluania educi curauit, quibus omnibus
non suam patriam ter & quater afflictam (proh
dolor

dolor) aduersus Turcam, sed Poloniam aduersus
Moschos & Tartaros vindicauit ac propugnauit.
Verum ea est iam quorundam ingrattudo (multi
enim inueniuntur, qui honorificè eius memoriam
retinent) ut eum iam demortuū accusent, qui Lith-
uaniam à perpetuis vastationibus, Liuaniam
à tyrannica seruitute, Poloniam à tumultibus,
totum denique orbem à Iohanne Basilio imma-
nissimo Moschorum tyranno liberauit. Hic fuit ille
Ioannes Basilius, qui Rostoniensem Ducem, Iohan-
nem Piotronicz Palatinum supremum Moscho-
uia Cancellariū suum Kožarin, aliosq; sui regni
proceres animi gratia, nulla iusta causa existente,
crudelissimè interfecit, hic fuit qui auriculas Pala-
tini Stariciensis pro dono abscidit, matronas nobi-
les constuprauit, tantamq; immanitatem cum in
suos, tum verò in exteros exercuit, ut in nulla vnq;
historia, crudeliorem hoc homine inueniri posse
certissimum sit, quemadmodum Leonhardus Gore-
cius tomo secundo rerum Polonicarum descripsit.
Quod ad Stephanum Regem Poloniae attinet, etsi ho-
minem eum, vitisq; obnoxium fuisse confitemur: ta-
men ut suos nauos ita suas virtutes habuisse nō dis-
simulamus. Nam ut eruditionem eius ac facundia
tacea, quae exteris etiā nationibus mirabilis extitit:

eximiam certè rei bellicæ sciētiam præterire nequeo,
in qua sic excelluit, ut meritò eum ex veteri celeberrimorum
Hæroum prosapia prognatum fuisse credamus. Testis est huius Maximilianus Romanorum
Imperator, à quo in legatione Ioannis II. Regis
Vngariae detentus fuerat: Testis est Caspar Bekeſius
cum suis complicibus, quem viribus imperatoriis
subnixum magna cum sui nominis gloria profligauit:
Testis est Liuania, Lithuania, atq; adeò tota
Polonia, quam & à Moscho in pristinam libertatē
vindicauit, & à licentiosis tumultibus liberauit.
Testis est denique Vngaria & Transyluania, ex qua
ortum suum duxerat. Sed iam ad iter nostrum
redeo. Coronà itaq; bonis auibus cum splendido comitatu
profecti, ad radices Alpium Moldauiensium peruenimus,
& in Kizdi Vasarbeli noctem illam transegimus.
Hæ sunt Alpes, quæ Transyluaniam seu Septem castra à
Moldauia & Transalpina discriminant, ac partim propter
nimiam celsitudinem, partim propter latitudinem quinq; milliariū,
partim propter creberrimas præruptorū saxorum salebras,
partim deniq; propter labyrinthicas rapidissimi fluminis
Oitoz, (quem tricies quinquies & amplius transire nos oportuit)
ambages, maximas molestias

Montes
Moldaui-
enses.

lestias euntibus in Moldauiam facessere solent. Haec nos postridie aggressi, quamuis pro viribus equorum iugalium superare festinauerimus: tamen intra duodecimam diei horam ne iuga quidem earum attingere potuimus. Etsi enim omnes ferè ad unum currus nostros subleuaueramus, peditesq; incedebamus (exceptis ipsis legatis, qui equis uehebantur) tamen equi ita defessi erant, ut identidem subsistere cogeremur. Currus quoq; onerarius, in quem pecunias aliaq; id genus necessaria reposueramus, iam difficulter attrahebatur, ut nunc catena dilaceraretur, nunc verò equi (licet numero duodecim) humi prolaberentur. Quapropter Magnificus Dom: Dn. Volphgangus Couasocius, re cum collega deliberrata, edixit, ut omnes cibo se corroborarent, equos subleuarent, et ad residuam difficilimi itineris partem exantlandam se instruerent. His perfectis, itineri nos damus, & quantum per equos licuit (nihil enim eis parcebatur, cum benè pastos equos in Moldauiam iam transmisissemus, ut videlicet ferundo itineri pares forent) ex alpibus egredi totis animis contendimus. Verùm nox atranos in medijs syluis & undis occupauit, ita ut nec regredi, nec progredi iam, immò neq; subsistere liceret. Quare

etsi maior pars comitatus censebat subsistendum,
Et quoquo modo fieri posset noctem illic transigen-
dam esse: tamen placuit M. D. Volphgango Coua-
socio, ut, quantum fieri posset, progredieremur, sperans
fore ut aptum aliquem locum nocturnae quieti nan-
cisceremur. Progredimur itaque, quantum densissi-
ma sylva, tenebrae, rapidissimus fluuius, Et maxi-
ma saxa permittunt, verum nunc equi iugales in
aqua prolabantur, nunc currus in mediis undis per-
uertuntur, nunc rotae perfringuntur, nunc à via ab-
erratur, nunc denique aliis obstaculis impedimur. In
tot tantisque molestiis tristis certe horror omnium ani-
mos occupauerat. Periculum enim erat, ne currus in
medio fluuio euersti, homines ipsos obruerent, praesertim cum in maxima tenebrarum densitate nihil
usque lucis appareret. Accensa tamen faces sunt, quae
viam dirigerent, Et duo fabri ferrarii continuo nunc
hos currus perfractos, nunc illos, reficiebant. Ibant
omnes quantum poterant, Et alij alios praeuerrere
conabantur metu periculi, ita ut sex fere currus
à recta via exorbitauerint, in quorum numero no-
ster quoque fuit, Et fortasse in praesentissimum discrimen
deuenissent, nisi fax nobis procul apparuisset. Facem
igitur secuti, ceteris rhedis nostram adiunximus, Et

licet

licet neque equi pabulum aut gramen, neq; homines
ipsi omnes panem & locum quieti necessarium ha-
berent, utpotè, ubi omnia plena cæno, aquis & ar-
boribus essent: tamen post magna multorum con-
uicia & murmura substitimus, ac ignibus excitatis
(sicubi fieri poterat) eam noctem illic penè insomnem
traduximus. Nam plurimi nostrum, neq; ignem,
neq; panem habebant, equi omnes ad unum stan-
tes esuriebant, atq; nosmetipsi quoq; partim in cæno,
frondibus substratis, partim in curribus iacuimus:
Taceo iam culicum multitudinem & pluias, qui-
bus ea nocte impediti sumus. Veruntamen his
omnibus molestis ea nocte exantlatis, summo di-
luculo iter aggredimur, atq; eò iam tardius pro-
cedimus, quòd equi partim hesternis laboribus de-
fessi, partim nocturna esurie penitus delassati unà
cum suis agitatoribus mouebant quidem, sed parùm
promouebat. Nihilominus superatis his itineris dif-
ficultatibus, circa meridiem peruenimus ad tuguria
in faucibus ipsarum alpium posita, in quibus cu-
stodes dispositi explorare solent, qui sint, & qua-
re aut ex Moldauia in Transyluaniam, aut ex
Transyluania in Moldauiam transeant. Quod
hoc consilio utrinque fit, ut subita incursiones vi-
tentur.

40. tentur. Factum enim non raro est superioribus se-
culis, ut Moldavi & Tartari in Transylvaniã ir-
rumpentes, ferro & flamma in miseram Sicularum
praesertim plebeculam grassarentur. Ab his tugu-
rijs, per declivia montium latera deuecti tandem
sumus circa solis occasum in oppidum Moldaviae
Tartos, ubi procuratores Vaiuoda seu Palatini, ex
praescripto eius, de hospitij, de victu, deq; potu (pro
ut mos gentis barbarae patitur) sat liberaliter nobis
prospexerunt. Valachia (ut paucis Moldaviam de-
pingam) dicta esse videtur, non tam à Flacco Prae-
side Romano, qui Mysiae siue Dacia praesuit, missus
eum cum triginta millibus hominum à Traiano, qui
in coloniam deducti ararent, & commeatum Ro-
mano exercitui, qui ibidem semper in armis con-
tra Scytas ac Sarmatas fuit, praebent: quam à
voce VValch, quae Germanico idiomate Italum si-
gnificat. Valachi enim, veluti coloni, Romanorum
& religionem sectantur, à Pontificia non multum
differentem, & idiomate utuntur Latino, licet ita
iam corrupto & mutato, ut vix tenuia priscae
linguae vestigia ac rudera in eo appareant. Valachia,
ab ortu Euxino ponto, à meridie Danubio, ab occa-
su Transylvania, à septentrione Russia termina-
tur, &

tur, & diuiditur in Transalpinam ac Moldauiam, naturā quidē habens terrā frugib. & uis procreādis aptam, sed propter nimiam Palatini tyrannidem ita desolatam, ut præter siliginem vix quicquam vsibus humanis necessarium progignat. Palatinus enim ex arbitrio Turcæ nunc sede pellitur, nunc propter magnam auri vim in pristinam dignitatem restituitur, atque ita fit, ut dum Turcæ Palatino, Palatinus misera plebecula pecuniam extorquet, omnes ferè ad unum in extremam paupertatem redigantur, & solum penitus incultum maneat.

Ex Tatro postridie per molliora itinera uenimus in oppidum Bako, ubi fluum Besterce multis cum molestiis nauī traiecimus. Moldauia enim, si vlla unquam regio, pulcherrimis fluminibus abundat. Ex Bako uenimus in Forum Romanum, ubi Moldauam flumen limpidissimum (à qua Moldauia nomen sortita est) nauī transuimus. Hic fluius Moldaua intersecat mediam ^{Moldaua} ^{fluius.} Moldauiam, & infra Hirasi fontes è Transyluania montibus ortus Hoinam, Dobenisam, Argiamq; perennes amnes secum trahit, donec in Allitum (qui nunc Olta nominatur) effundatur, qui mi-

C

nora

nora Moldavia & Transalpinæ flumina in Ori-
entem reflexus ad Nicopolin in Danubium rapit.
Ibi propter viciniam Turciae, plurimos Turcas vi-
dere nobis licuit. Turca enim veluti confederati,
confines vel potius Domini Moldavia solent eò ad
exercenda mercimonia impunè commeari. Ex
Foro Romano profecti à publica via exorbitavi-
mus, & cum dux itineris (quem fortè obviam no-
bis venientem ad illud officium nostri cogebant) omnib.
aspectantibus profugisset in vicinam sylvam, tan-
dem circa Solis occasum in Aracelam pagum ap-
pulimus, ubi Stephanus Rex etiam, cum ex Tran-
sylvania in Poloniam per Moldaviam proficisce-
retur, pernoctavisse ferebatur. Isthinc postridie ve-
nimus in Soczauam metropolin Moldavia, ubi
pulcherrimum palatium & destructam arcem vi-
dimus. Hanc arcem possedit Ivonia ille, qui, cum
Imperatori Turcico, tributum solito maius poscenti,
non parvisset, victoriam de Turcis ter & amplius
reportauerat, donec per Ieremiam Czarnauuecz-
um proditus à Turcis, contra fidem datam occisus fu-
erat: Hanc possedit Stephanus ille Valachia Regu-
lus, qui maximos sæpè Moschorum, Scytharum
& Turcarum exercitus deleuit, & Solymanum Bas-
sam Ro-

Sam Romania Ducē, cum triginta Turcarum milli-
bus fudit: Hanc habuit Dracula, qui cum paucis
sed delectis militibus Mahometum positū iam ma-
iore Valachia, & ad minorem occupandam matu-
rantem, ad Danubium regredi coëgit, & quem ut
Matthias Corvinus in officio retineret, pro amisso
Moncastro Cicloviam & Chechillum oppida dono
ei dedit: hanc incoluit Iacobus Despota, qui cum
Alberto Lasco Moldaviā occupauerat: hanc inco-
luit deniq; Palatinus ille, qui nostra memoria Ste-
phani Regis Polonia iussu Leopoli decollatus est, eò
quòd literas Stephani ad Turcam mittendas lega-
gatosq; Turcicos contra ius gentium trucidandos
curare solitus fuerit. Fertur certa fama tantis hunc
viribus polluisse, ut calces ferreos nullo negotio dis-
rumperet, unde etiam nomē Patkouani sortitus fu-
erat. Ex Soclavia (seu ut nunc vocant) Szuczua
profecti in Forum Amantis Pruthem fluvium am-
plissimum navi traiecimus, qui Hirassus à veteri-
bus dictus in Istrum euoluitur. Fluvio traiecto in-
gens sylva apparebat, quam transire deberemus,

sed cum ea sylva partim propter Kołakos, partim
propter Tartaros, partim verò propter Valachos
neutrarum partium ibi latrocinia exercentes ni-
miùm formidabilis esset: M. D. Volphgangus
Covasocius, cum Generoso Dn. Caspate Kornis
effecerunt, ut incolæ quique illius loci nobis adiun-
gerentur, atque ita omnibus nostrum armatis ince-
dentibus sylvam illam salui transiremus. Tartari
enim Tauricenses, Asturcenses, Naianenses, Re-
Zihonenses & Circassij solent eò irrumpere, & o-
mnia crudelissimè depopulari. Hi Imperatorem
habent principem Horde, seu congregationis cam-
pestris (in campis enim castruatim absque tectis
degunt) pro religione Alcoranum amplectuntur,
solem, ignem, malos genios, pleriq; pro Dijs colunt,
carnibus equinis ac semicoctis avidissimè utuntur,
lacte equarum, instar vini cretici, potant, capita e-
quina pro delitiis habent, & nunc Turcis, nunc au-
tem alijs nationibus pro mercede militare solent.
Ab his monstris, Dei beneficio liberati, fines Russia
intraimus, & quia ulterius progredi prohibiti
sumus, in pago Mezericz substitimus. Senatus
enim Polonia publico consensu decreverat, ut fines
Polonia ab omnibus plagis diligentissimè custodi-
rentur,

rentur, ne aut Moldavi, aut Tartari, aut Turca in
interregno ansam irrumpendi acciperent. Hic
itaque intra unius ferè septimanae spacium detenti,
non exiguam molestiam ex inopia panis, cereuisia
& aliarum rerum, ad victum necessariorum, per-
cepimus. Sed tandem libera abeundi copia à Po-
lonis cōcessa in Snatim, & ex Snatim in Hannefocz,
flumio navigabili traiecto, appulimus. Ex Hanne-
focz venimus in Halicz, flumine Nester nauibus
transmisso, quod à veteribus historiographis Tya-
ras nuncupatum, è Carpatho monte Sarmatia o-
ritur, & Moldauiam ad Aquilonem à Russia &
Podolia discriminans in Euxinum pontum rectà
contendit. Ex Halicz in Bobkam, & inde Leopo-
lin tandem venimus. Leopolis est metropolis
Russorum, quae, & ob magnificas aedium structu-
ras, & ob mercimonia Armeniorum ditissima ha-
betur. Hi Russi (ut paucis attingam) Papam
non agnoscunt, sed Patriarcham Bizantinum ve-
nerantur, templis vtuntur ligneis, missam pro-
pria lingua peragunt, imaginem S. Mariae &
D. Nicolai duntaxat in templis suis patiuntur,
Sacerdotes eorum coniuges sunt, literas habent
alphabeticas veteribus Graecis quàm similimas, vir-
gines

gines per vim corruptas in matrimonium ducunt,
multi eorum serpentes in domibus suis alunt, da-
monem meridianum colunt, viri & foeminae eodem
habitu utuntur, atq; ita una cum Armeniis barbari
per omnia sunt. Armenia enim confinis est Rus-
sia, ita ut Leopoli plurimos Armenios videre
nobis licuerit. Leopoli digressi appulimus in
Belz, altero die in Tisuec, tertio in Szawalo, quar-
to in Cranicta, quinto tandem Liublinam perueni-
mus. Liublina est ciuitas murata, fossa sta-
gnisq; ingentibus circumdata, arx autem in emi-
nentiore colle posita, muro validissimo fossaq; pro-
funda cingitur. Huc ex remotissimis regionibus
Turca, Armeni, Graci, Germani, Moschouite,
Lithuani & ceteri negotiatores ex circumiacen-
tibus regionibus conuenire ob triplices per annum
nundinas, quatuor hebdomadas durantes, consue-
uerant. Illic itaq; molestias aliquot dierum mi-
tigantes, liberaliori victu ac quiete nos & equos
refecimus. Vidimus ibi Gallum & BorcZka pi-
sces marinos, quemadmodum Leopoli videramus
Crocodilum, de quo scribitur in Historiis, quod viso
homine primum lachrymari, deinde eum deuora-

re soleat. Liublina in Stařicza, sequenti die in
Vilika, tertia in Moggesin pagum venimus, &
quoniam premissus Paulus Domb nondum certio-
res legatos de prospecto hospitio fecerat, ibi intra v-
nius fere hebdomada spacium commorati sumus.
Tanta enim hominum multitudo Varsouiam con-
fluxerat, ut vix mediocria hospitia pro centum la-
leris inuenirentur. Post duos ergo ferè menses
quàm ex Transyluania iter cœperamus, Varsoui-
am, Christo comite, venimus. Varschouia est metro-
polis Masouia, duplici muro fossaq; obducta, in
planitie ad Vistulam condita, & partim propter
pontem ligneum, ingenti sumptu in Vistula confe-
ctum, partim verò propter Regina mansionem
celeberrima.

Indicta tunc fuerant ibi comitia, ut aliquis
idoneus Rex Stephano Bathori de Somtio subrogare-
tur, qui totū decenniū Polonia prudenter & fortiter
administrata, postridie calendas Decembris, anno
supra millesimum & quingentesimum octuagesimo
sexto, magno sui desiderio bonis relicto, ex hu-
manis

manis exemptus fuerat. Sed comitia turbulen-
tum exordium nacta erant. Competitores enim
quatuor maxima auctoritatis & potentia, legatos
ibi habebant. Vidimus ibi Reginam, Sigismundi fi-
liam & Stephani coniugem, vidimus exercitus ex
Tartaris, Turcis, Kołakis, & aliis remotis nati-
onibus conflatos, vidimus omnes ferè Polonia pro-
ceres, totius nobilitatis Poloniae florem, legatos Pon-
tificis Romani, Imperatoris Germanici, Regis
Hispaniarum, magni Ducis Moschoniae, Regis Sue-
ciae, Palatini Electoris ad Rhenum, aliorumq; Du-
cum, vidimus denique alia scitu digna, quae o-
mnia singillatim enumerare instituti nostri non est.
Ex Varsovia, Masovia metropoli, secundo Vistu-
la per duas nauiculas deuecti sumus in Łaklacz,
Cernic, Wisegrad, Ploczk, Dobsin, Nessowa, To-
ronia, Tolmna, Suecz, Riczoncz, Neuola, Qui-
cin, Gues, & Hirsza, omnia propemodum oppida
murata, donec tandem post octiduum Dantiscum,
Christo Duce, sub crepusculum vespertinum, ma-
gnis imbribus decidentibus salui appulimus. In hoc
Prussico & Borussico itinere videre nobis licuit
cum homines quosdam Ol nominatos, incertarum
sedium, atq; in solis Vistulae littoribus latrociniis vi-
uentes

uēles, tum vero Boruffos, qui quonda Basturcas, Potripum, & alia plurima demonia pro Diis coluerunt, atq; etiamnum veterum idolomaniarum vestigia fouēt. Dantiscum seu Gedanum dictum, quod Geta & Dani ibi confederint, est metropolis Prussia, partim propter amplitudinem, partim propter propinquitatem maris Balthici, à quo uno milliari abest, partim propter ostium Vistula, qui ibi in mare exoneratur, partim deniq; propter emporium celeberrima. Ex ultramarinis enim regionibus, Anglia, Scotia, Gallia, Hispania, Suecia, Dania, Noruegia, Islandia triremes eò appellunt. Huc itaq; cum venissemus Mathaus Radechius Secretarius Gedanensis, humaniter nos excepit, & cum de hospitio prospexit, tum verò omnia, quæ visu erant digna, diligenter ostendit. Deduxit enim nos in turrim egregiè deauratam, & templa magnificentissimè ornata: deduxit ad mare Balthicum, in quo præter alia natura miracula vidimus succinum in copia, atq; tantam triremium Anglicanarū, Gallicarum, Danicarū, Suecarum, Islandicarum multitudinem, ut plures ferè q̄ sexcenta in ostio Vistula mariq; cōspicerentur. Deduxit præterea nos in curiam, in qua effigiem Stephani Regis 50 aureis emptam honorificè afferuant.

D

Ostendit

Ostendit etiam nobis horologiū quoddam, tanta arte factū, ut dīs hora sonaret, simul quoq; mors in fastigio eius falcat, Moyses tabulā legis, terra illidit, Iudaei coram aureo vitulo ludunt, duo tuba canunt, reverā sonitum edentes, duo equitant, duo hastis concertant, unus tympano ludit, annus ex fenestra prospicit, quidam cocleari cibum in os ingerit, duo Satyri tintinabulū alternis pulsant, quatuor maiora, sex minora tintinabula, quāvis melodiam & concentum representant, sphaeraq; ipsa ostendit aspicientibus, quando quis tuto in mari navigare possit. Ostendit deniq; nobis vineas, aggeres, fossas, machinas, & stratagemata, quibus ante decennium Stephanus Rex Polonia Gedanum expugnare conatus fuerat. Et quanquam maximis id molestus affecit, ita ut duo millia Vngarorum & Polonorum, 12. millia Gedanensium ita prostrigauerunt, ut quater mille & quingenti in acie ceciderint, mille viui capti fuerint, 62 duntaxat ex numero Polonorū & Vngarorū desideratis: tamē destitutus classe marina exercitum deductum castello admouit, pro quo tanq̄ Helena digladiabantur. Est illud castellum in litore maris Baltici, & ostio Visulae, non tam aggeribus, quam vicinis maris munitissim-

nitissimum, in quo asseruatur laterna vitrea tanta
magnitudinis, ut tēpore Autūni, inualescentib. pro-
cellis, noctu in editissima turri exponatur, ad quam
veluti cynosuram quandam navigantes in mari i-
ter dirigant. Hoc itaq; castellum cum intra mensem
ferè oppugnasset, tandē legatis ab ordinibus Imperij,
nomine Imperatoris interueniētibus, & pacem cōpo-
nentibus, obsidionem soluit, Prusiamq; à cadibus.
vastationibus & aliis belli incommodis, liberauit.
Hec, & his similia, cum Dantisci perlustrassemus,
mutato habitu illinc digressi, ad populos Cassubios
peruenimus. Inter Cassubios, cum in pagū quendam
venissemus, & occurrentibus hominibus aliquot pa-
num frustra ad id iam antè preparata obiecissemus,
multi confluxerunt, viri cum fœminis, pueri cū ca-
nibus, magno cum clamore decertantes. A Cassubiis
peruenimus in fines Pomerania, donec per LacZ sic,
Coslinum, Golnowiam aliaq; eius regionis oppida
Stetinū tandē attingeremus. Stetinum est metropolis
Pomerania, cum ob sedem Principis, tum verò pro-
pter Oderā, qui eam aluit, celebris. Hic cum aulam
Principis videre aueremus, misso in hospitium nostris
Cācellario, capitaneo, & Doctore Medicina, aliisq;
primariis aulicis, Princeps Pomerania honorificè

nitissimum, in quo asseruatur laterna vitrea tantæ
magnitudinis, ut tēpore Autūni, inualescentib. pro-
cellis, noctu ineditissima turri exponatur, ad quam
veluti cynosuram quandam nauigantes in mari i-
ter dirigant. Hoc itaq; castellum cum intra mensem
ferè oppugnasset, tandē legatis ab ordinibus Imperij,
nomine Imperatoris interueniētibus, & pacem cōpo-
nentibus, obsidionem soluit, Prussiamq; à cadibus.
vastationibus & aliis belli incommodis, liberauit.
Hec, & his similia, cum Dantisci perlustrassemus,
mutato habitu illinc digressi, ad populos Cassubios
peruenimus. Inter Cassubios, cum in pagū quendam
venissemus, & occurrentibus hominibus aliquot pa-
num frustra ad id iam antè preparata obiecissemus,
multi confluxerunt, viri cum fœminis, pueri cū ca-
nibus, magno cum clamore decertantes. A Cassubiis
peruenimus in fines Pomeraniae, donec per LacZ sic,
Coslinum, Golnowiam aliaq; eius regionis oppida
Stetinū tandē attingeremus. Stetinum est metropolis
Pomeraniae, cum ob sedem Principis, tum verò pro-
pter Oderā, qui eam aluit, celebris. Hic cum aulam
Principis videre aueremus, misso in hospitium nostrū
Cācellario, capitaneo, & Doctore Medicinae, aliisq;
primariis aulicis, Princeps Pomeraniae honorificè

Generosos dominos in arcem deduci iussit, & cum
Palatia, hortos super Palatia existentes, stabulum
equis Thraciis atque Hispanis plenum, armamen-
tarium instructissimum, aliaq; id genus visu digna
ostendi nobis curauisset, tandem splendido conuiuio
exceptit & honorifice dimisit. Quo minus autem ipse
conuiuio adesse potuerit, morbo effectum est, quo tunc
grauiter laborabat. Stetino digressi Marchiam in-
trauimus, donec tandem Berlinum & Coloniam
attigerimus. Ea urbs, est Metropolis Marchia,
& sedes Brandenburgici Electoris, cuius aulam ibi,
eo absente, vidimus. Berlino digressi, post varias
longinqui itineris molestias, Deo Opt. Max. no-
strum iter dirigente, 26. Iulij Vitebergam appuli-
mus, & dulcissimam cœtus Vngarici coronam le-
ti salutauimus. In hac Academia nunc, Deo
nostris studiis aspirante, unâ cum Generoso Domi-
no Michaële Forgacz, M. D. Simonis Forgacz,
filio optimo, & doctissimis ac ornatissimis viris, D.
Ioanne Czanadio, seniore Cœtus Vngarici dignissi-
mo, Michaële Cibradio, Balthasare P. Miskol-
czino, Nicolao T. Dobrocchino, Stephano Tolnao,
Martino Thurio, Demetrio Ližkano, Deme-
trio Carcouio, Francisco Nematino, Michaële Bor-
ueino

ueino, Andrea Mohino, Ioanne. S. Tolnao, Stephano Felighazio, Petro Szent Petorino, Nicolao B. Dobrocchino, Alexandro Szamoskozio, Demetrio Ertlario, Valentino Sarkozio, Ioanne Lentulo Szepsino, Francisco N. Debrecino, ac denique cum nobilissimis & amplissima spei iuuenibus, D. Sigismundo Mariasio, & D. Sigismundo Peczio: operam studiis liberalibus nauamus. Vivimus autem apud clarissimum virum D. Salomonem Albertum, Doctorem Medicinae, & publicum Professore, in sodalitate Generosorum, & praeclaris animi dotibus praeditorum D. D. Andrea Duditij, & D. Andrea Kochticzii, qui pro sua singulari cum in omnes, tum vero maxime in gentem Vngaricam humanitate & beneuolentia, sincero amore nos prosequuntur.

Hac est, Magnifice Domine & Patrone colendissime, totius nostri itineris series, quam breuiter perscriptam, ad M. T. D. mittere volui, non alio certe consilio, quam ut cum Generosum D. Franciscum Banpilosonci, M. T. D. filium charissimum, unam cum Generoso D. Alexandro Somborio, Magnifici D. D. Ladistai Somborij filio, Egregio D.

D 3 Geor.

Georgio Kornis, Egregij D. Volphgangi Kornis
filio, D. Martino Budai, Magnifici D. D. Volph-
gangi Conasocij fratre, ac deniq, nobiscum saluum
huc Vitebergã appulisse M. T. D. intellexerit, Dei
clementiam, qui nos protexit, celebret, et nos nostraq;
studia eidem cum omni bona spe commendet.



Epigramma

EPIGRAMMA.

IN ITER GENEROSI DOMINI
D. FRANCISCI BANFILOSONCII.

Lascus apud celebres encomia pulcra Polonos
Promeruit, longæ per tria lustra viæ,
Qua permensus erat triplicis vaga climata mundi.
Legerat & vasti littora curua maris:
Dicitus Alexandri sic nomine, non minor ille,
E Schuleburgiadum semine stemma trahens,
Saxonibus peperit decus indelebile, Lasci
Per mare per terram dum superavit iter:
Hanc etiam ad laudē aspirat FRANCISCVS, in Hunnie
Fortibus, antiqua nobilitate satus,
Quem pater ad magnas Patriæ spes educat: ambos
Præsidio incolumes protege Christe tuo.

Petrus Albinus Niuemontius,
Illustris: Ele. Sax: Histor.
& Professor VViteberg.

ANTIKTHESIS

A N T I,

C H R I S T I E T

- Io. 14* **N**emo Patrem nouit, nisi Filius, & quibus ipse
Io. 10 **N**ostia cœlorum peracerba morte reclusit.
-
- Io. 8* Lux ego sum mundi, tenebras qui discuto cunctas.
-
- 1. 10* Sum caput & sponsus, lacerati & Pastor ouilis.
-
- Ex. 53* Solus ego vetiti semper sum criminis expers.
-
- 1 Io. 1* Ipse ego sanctorum purgo velut agna reatus.
-
- Matt. 28* Sumite cuncti homines saluantis pocla cruoris.
-
- Mat. 15* Non quod in os intrat, sed pectora praua prophanant.
-
- Exod. 20* Non macules casti sanctissima fœdera lecti.
-
- Ex. 20* Non cupias proprio frater quod possidet ære.
-
- Io. 3.8.* Qui mea verba tenet, mortem non sentiet ipsam.
-
- Matt. 16* Me super hanc petram sacratos extruo cœtus.
-
- Io. 10* Omnis ouis sequitur proprij mea verba Magistri.
-
- Luc 17* Omnia si facitis, vani nos, dicite, serui.
-
- Io. 16* Quis uestrum merito me iustum crimine damnet.
-
- Mat. 11* Approperate ad me quos grandia pondera torquent.
-
- Io. 5* Credite, sum verum vero de numine numen.
-
- Rom. 3* Sola fides, nec opus mortales iustificabit.
-
- Matt. 28* Ite, sonate Dei vocem, pia lumina mundi.

Felix

T H E S I S.

A N T I C H R I S T I.

| | |
|--|-----------------------|
| Nemo potest vnquam prece compellare Tonantem, Si sua defuncti coniungere vota recusent, | Con. Tri sess. 11. |
| Quanto Sol Lunâ, tanto Papa Cæsare maior: | Cap. 101 de ma. C. |
| Sum Sponsusq; caputq; sacrarum ouiumq; magister. | C. 9to de Imr. |
| Error abest à me, sum cuncti criminis expers. | Erasim. pa. 663 |
| Ast benedicta lauat defectus vnda piorum, | Con. Tri sess. 25. |
| Præbyter hinc soùm bibat, hinc procu! este prophani. | Con. Tri sess. 13. |
| Sexto quoq; die caro foedat, sunt bona corda. | sess. 6. |
| Si non castus eris, fac saltem cautus vt esto. | Io. Della |
| Labe caret, fratris qui res desiderat ipsas. | sess. 6. |
| Sidera nemo petet, sacro nili purus ab igne. | sess. 4. |
| Non super hanc Petram, sed Petrum Pontificesq;. | And. |
| Cuncta colens præcepta Papæ saluabitur ille. | sess. 9. |
| Omnia si facitis cœlestia regna petetis. | sess. 6. |
| Nemo mei facti causam cognoscere debet. | Ca. 1. P. def. 4. |
| Approperate precor Romam, qui ducitis aurum. | De. C. d. |
| Semiuir ipse vocor (non purus) semideusq;. | Eras. An pag. 66 |
| Nulla fides, sed opus mortales iustificabit. | sess. 4. |
| Ite sonate meas missas præceptaq; nostra. | sess. 4. |

Infelix

Matt. 9 Felix, qui nostro pro nomine plurima perfert.

Matt. 19 Diuitibus labor est cellos conscendere coelos.

Or. 2 Officijs magè delector, quàm sanguine taurùm.

Matt. 6 Ipsa breuis penetrat cellos oratio coelos.

Rom. 1 Qui verbo vitæ credit, saluabitur ille.

Matt. 5 Non possunt solui summi monimenta Tonantis.

Matt. 23 Rector ego coetus sancti vocor atq; magister.

Matt. 28 En ego vobiscum sum sancto Flamine semper.

Luc. 12 Pelle procul dubium tu turba pusilla timorem.

Matt. 10 Discipuli, moneo, magnas ne quærite gazas.

Matt. 10 Tolle crucem nostram tu me quicumq; sequeris.

Matt. 5 Fœlix est, puro qui pectore præditus extat.

Matt. 26 Perdetur gladio, gladium qui diligit ipsum.

Iob. 19 Omnia clauduntur scriptis præcepta salutis.


Matt. 28 Turba beatorum subeat baptismatis usum.

Aug. Sacramenta duo sint tantùm lignaq; verbi.

Paulus. Publica vulgari resonent mysteria lingua.

Matt. 10 Concilijs tradet vos impia turba malignis.

Infelix



| | |
|--|--------------------------------|
| Intelix est is, quem multa pericula vexant. | (Via Acta Mart.) |
| Diuitibus facile est cellos conscendere. cellos. | acc. de Ind. |
| Missa magis grata est, pietas quam vera tonanti, | sess. 3 can 11 |
| Longa magis penetrat nitidos oratio cellos. | (Can. bur grandi.) |
| Quisquis Pontifici credit, saluabitur ille, | Sylu. |
| Papa potest fidei sacrae procudere dogma. | (Er. An. pag. 663) |
| Figere scripta Dei semperque refigere possum. | Ibidem |
| Astra tenet Christus, terrae me sceptrum decorant. | sess. 6 cap 12 |
| Semper habe dubium tu plurima turba timorem. | Dubit. sem |
| Dantes Roma colas, non dantibus ostia claudas. | Hil. in tom. |
| Tolle meum signum, praecipuaque sacra negato. | Apoc. |
| Felix & mundus, qui viuit coniugis expers. | sess. 7 |
| Ense potens gemino Papa sum Dominus Dominorum. | Peirar. |
| Cereus est natus summi scriptura tonantis. | Col. cens. |
| Tinnula nola etiam subeat baptismatis usum. | Max. im. |
| Sacramenta duo non sint, sed symbola septem. | sess. 6. 14 |
| Publica Romano resonent praecipua boatu. | sess. 6. |
| Concilijs vestris Pastores tradite fidos. | Vide Hus. & Hier. & Simi |
| | Acta Marty. |



SIMILITUDO PHARISAEORVM

& Iesuitarum Matth. 23.

Imponunt populo variarum pondera legum,
Quæ nolunt digitis vel tetigisse suis.
Omnia sic faciunt, cunctis spectentur vt ipsa,
Dum pileos quadrant, dum nigra cuncta gerunt.
Semper amant primos cubitus primasq; cathedras,
Et Patrum dici nomine semper amant.
Ostia cœlorum claudunt neq; sydera scandunt,
Diripiunt viduas longa precando domos.
Per mare, per terras fugiunt, per saxa, per ignes,
Vt mergant homines sub Phlegetontis aquas.
Iurandi culpam sub certa lege relaxant,
Sed vinum decimant advigilante fide.
Excolant culicem comedentes ore camelos.
Emundant calices, sed mala corda gerunt,
Sunt similes tumbis: nam sancti penè videntur,
Sed patrant falsi plurima supra Patres.
Multa beatorum monstrantes ossa virorum
Excruciant veros vicq; doloq; pios.
Fusus vt Ausonios ab Abelis sanguine sanguis,
Carnifices mergat sub Phlegetontis aquas.
Mille Deos ipsi, nec solum numen adorant,
Et fabricant manibus lignea spectra suis.
Crimina pro nummis concedunt, astraq; vendunt,
Serui seruorum nomine, re Domini.



- VÉGE -